

1. 851



C.M. 32. EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

III A 269

S I G N A T. *clxcccxiii.*

H E C I

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-541216-p0002-5




DFG

Exquisitissima & singularis Ingeni
O R A T I O,
DE LIBERATA CIVITATE
VIENNENSI.

De
Immanissima Tyrannide & in-
festissimis Turcarum Armis,
PATAVII HABITA

a
Prænibili & Praclarissima Quindecim Anno-
rum Virgine,
CAROLA CATHARINA
PATINA,
in Præsentia Almæ Universitatis Patavien-
sis, 31. Octobris. Anno 1683.
IMPERATORI CÆSARI,
LEOPOLDO I.
AUGUSTO, OPTIMO, MAXIMO,
TRIUMPHATORI, INVICTISSIMO,
DICATA & CONSECRATA.



LEUTSCHOVIAE,
Typis SAMUELIS BREWER.

Psalms. 8. v. 3.

Ex ore infantium & lacten-
tium perfecisti tibi laudem,
propter inimicos tuos : ut
destruas inimicum.

*** * * * * * * * * * * * ***

DE LIBERATA CIVITATE V I E N N A, ORATIO.

DE liberata Civitate VIENNA, deque profili-
gato exercitu Ottomanico, si Ego puella,
ætate tenera, ingenio modico, doctrina
perquam mediocri orationem habere hodie aggre-
diar, nemini mirum videri debet; Talis enim ac
tanta victoria vel mutis vocem donare possit. De
tam miro tamque prospero successu nihil equidem
filet; Exultant in cœlis Angeli, fremunt in Tartaro
Dæmones, totus orbis Christianus passim lætatur ac
plaudit. Nullo vel ætatis vel sexus vel fortis discri-
mione, proceres ac populus, sacerdotes, magistratus,
cives, pueri, ac puellæ certatim Deum adorant, Im-
peratorem celebrant. Ipsa profecto rerum Natura
in partes lætitiae ire gestit, ac sacro concentui succi-
nere videtur. Sol splendidius nitet, puriori luce ar-
ridet æther, plausibus, cantibusque aër personat,
festis undequaque ignibus terra emicat, universa de-
nique mundi compages prorumpit in gratiarum a-
ctiones, & ad publica Christianorum gaudia con-
spirat. In tanta rerum omnium exultatione silere
nefas fuerit. Ego certè non patiar, ut lætis clamo-
ribus circumsonantibus una obmutescam, sed com-
muni laudis gaudii que voci, vocem meam quantum-
vis debilem adjungam, Christo gratias agam, atque
(§) 2 Impe-

Imperatorem celebrabo. Et quoniam Imperatoris causa, Dei causa est, dum Deum laudaverit mea lingua, celebrabitur Imperator pientissimus; ut contra, Imperatoris laudes ac præconia in Dei gloriam indiviso nexus refundentur.

Evidem in tam insigni Victoria, si quis Deo Vitori, Christo Liberatori maximas primasque gratias agere recuset, summè ingratus; Si quis divinam opem illuxisse non viderit, summè cœcus dicendus fuerit: *si (Jac. c. i. v. 17.) omne datum optimum & omne donum perfectum defusum descendit à Patre luminum*, sanè hic præcipuè se miris modis exhibuit divina potentia, se perspicuis notis conspi ciendum præbuit Numinis favor. *Quis enim obfessorum Christianorum animis incredibili fortitudinem, tantam in adeundis periculis audaciam, in perferendis constantiam instillare valuit?* *Quis, nisi Deus exercitium, populi sui curam gerens?* *Quis Poloni Regis cor ita movit ac permovit, ut non dicam missis copiis suppetias ferret, sed ipse reliquo regno suo, nec ipse modò, sed adjuncto lateri dilectissimo filio, Adolelcente regio, in auxilium lubentissimè convolaret?* *Quis, nisi ille Deus, in cuius manu Cor Regis est?* *Quis auxiliares cohortes undique collectas ita direxit ac temperavit, ut in tempore confluenterent, ut civitati novo ac majori hostium impetu oppugnatæ, jam labanti, jam ad incitas redactæ, non dicam opportuno die, sed hora congrua, ipso temporis puncto suum astuerit auxilium, salusque orta sit repentina?* *Quis nisi ille ex quo salus, ille qui visitat suos tempore opportuno,*
qui

qui solus novit dies ac tempora quæ ipse posuit in
sua potestate? Quis vim ingentem imbrium cœlitùs
immisit, ut vis pulveris pyrii, incredibili cura colle-
cti, tum in cuniculis tum in munumentis evanesceret
labore irrito, castraque hostilia penè liquefacta sol-
verentur? Quis, amabo, quis nisi ille qui (Psalm.
103.) prout loquitur Propheta Regius, *nubibus*
tanquam currui infidet, & grandine, igne, ac plu-
via administris utitur tanquam Angelis? Quis re-
pentino pavore Ottomannorum corda ita percus-
sit, ut ipsi virium suarum suæque multitudinis imme-
mores, nova formidine attoniti, tanquam ex incen-
dio, se eriperent, & turpi fuga saluti consulerent?
Quis, quæso, quis nisi ille, ante quem voraces ignes
ambulant, de quo scriptum est: *Exsurgat Dominus,*
& dispergentur inimici ejus.

Te Deum ergo laudamus, Tibi Christe gratias
agimus: Tu Ecclesiæ laboranti consulisti, Tu po-
pulum tuum servasti, Tu Templis atq; Altaribus tuis
opem tulisti. Pugnabant pro Christo milites no-
stri, pro illis pugnavit Christus: Hoc auxilio freti
bellatores Christiani pro mœnibus Viennæ stantes,
alaci animo arma capeſſebant, & irruentes hostes ē
muris fortiter propulsabant, de victoria certissimi,
cùm vel moriens triumphet Christianus, imò tūm
maximè triumphet, qvùm pro causa Christi mori-
tur. Hac fide pugnantes si quem fortè socium ante
oculos procumbentem viderent, non ignororum
ritu desperabant, neque muliebriter flebant, imò
ejus sorti propemodum invidebant: neque enim

commilitem ab hoste immanissimo trucidatum, sed
Martyrem à Deo benignissimo erexit judicabant,
neque illum humi jacentem, sed in cœlo exultantem
prospectabant.

O ter quaterque beati,
Quēis ante ora D̄ei sub mœnia celsa Viennæ
Contigit oppetere!

Vos enim dum terram propugnatis, cœlum me-
quistis, dumque brevis vitæ jacturam pro Christo
facitis, compendio paucis concessō, ad æternæ vitæ
delicias rectâ convolâstis.

Neque verò inulti cadebant Heroës nostri, sed
pro singulis Christianis vel centum Barbari occum-
bebant, victimæ nîl miserantis Orci, quas veluti in-
ferias suorum beatis Manibus victor Exercitus de-
vovebat. Non enim unquam ad mœnia proprius ac-
cedere ausi sunt hostes, quin fortiter repulsi largâ
strage temeritatis pœnas luerent. Cumulatis veluna-
die insultibus, cumulata coedes emergebat, & quo-
pertinacior erat impetus, eò densior illis occisio,
ampliorq; nostris victoria oriebatur. Nempe pro
Aris & Focis, pro Christi peculio decertabant
Christiani. Dum milites pro muris stantes hostem
stricto macrone arcabant plurimi Moyses in monte
Sancto collocati, manibus ad Deum protensis, iner-
mibus illis quidem, sed tamen efficacibus infidelium
impetum retundebant, & Fidelium animos occulta-
quadam vi ad pugnam, imò ad victoriam accende-
bant.

Gaudete & exultate milites Christiani, Civitatis
Principis glorioſissimi custodes: exulta ac triumpha
for-

fortissime STAREMBERGE, quem Viennæ Angelum
tutelarem jure merito dixerim: Vos dum Impera-
toriam urbem custoditis, totius Ecclesiæ custodiam
vobis paratis; dum pro præsidio civitatis statis ar-
mati, sub omnium Sanctorum præsidio, tanquam
sub adamantino clypeo latere meruistis. Ipsa com-
militonum vestrorum animæ Beatorum choro re-
cens adjunctæ vestro non defuerunt auxilio. Novi
Cœlites, ut ut felices, pro vobis solliciti fuerunt,
ut ut triumphantes, pro vobis, pugnare, pro vobis
vincere non designati sunt, immo hunc laborem in-
triumphi sui partem non contemnendam reposue-
runt. Jubilæo universali à communi Christiano-
rum Patre indicto ac passim celebrato, vidi Deus
actota cœli curia, vidit totus mundus, quo affectu
vota nuncupaverimus, quo ardore vobis victoriam
è cœlo elicere conati simus. Lacrymis nostris ac
gemitibus veniam Deum poposcimus; jejuniis sole-
mnibus Numinis favorem imploravimus; præcibus
tum publicis tum privatis Christum sollicitavimus,
ut nobis propitius iram suam converteret in Gentes,
quæ non nōrunt Nomen suum, aut ita solum nō-
runt, ut nefandis blasphemias proscindant. Neque
omnino incredibile est, Ecclesiæ suspiriis tanquam
vaporibus è terra emergentibus cusum fulmen pro-
diisse, quo percussus jacuit exercitus Ottomanicus.

Certè cùm animo mecum reproto mirabilem il-
lam pluviam cœlitus erumpentem, quæ adluvii instar
cuniculos hostium & munimenta devastavit, omnes-
que illorum spes ac consilia in profundum demersit,
non possum quin tali portento obstupeciam, præ-

(§) 4.

sen-

Sentemque Numinis favorem agnoscam. Scilicet Deus Optimus Maximus suorum lacrymas pensare voluit effusis pluviis, quæ non secius barbaris nocuerunt, ac horribilis illa grando, quæ olim hostes populi sui, Duce Iosuæ, decertantis perculsit ac contundit. Quin etiam confidimus brevi fore, vel jam nunc obtigisse, ut piæ gentis sancta jejunia rependat idem Deus, immissa in Turcas dira fame & acerbis jejuniis, quæ non pietate adducti sed penuria coacti in poenias belli nefariè suscepisti celebraverint.

Historicorum consensu comprobatum est, legiōnem Christianam sub M. Aurelio Imperatore militantem, precibus ad Deum fusis, largam sitibundo exercitui pluviam impetrasse. Ardentes Christianorum preces mirabilem hanc pluviam nuper impretrasse, nec judicare nec credere erubescimus. Fuerit illa quidem olim Amicis benigna, at ista non minore beneficio fuit infensissima barbaris Viennæ obfessoribus. Tibi nempe IMPERATOR AUGUSTISSIME, ipsa rerum Natura, volente Deo, suum obsequium præstítit. Tibi operam navavit aér, Tibi famulatus est imber. Atque ut quondam de Theodosio pio decessore tuo dignissimo cecinit Claudio: liceat nobis de Te, versu paululum deflexo, dicere:

O nimium dilecte Deo! cui fundit ab alto,
Armatas hyemes Christus, cui militat æther,
Et conjurati volvuntur nubibus imbres.

Jamque ad Te, IMPERATOR OPTIME, nostra se convertit oratio; scilicet Tibi secundas post Christum Liberatorem gratias deberi fatemur.

ac præ-



ac prædicamus: Secundas certè, quia primas Deo
noſtro partes nec denegat, nec invidet Majestas
Tua, quæ alios non imperio magis quām pietate
antecellit. Tu omnibus mortalibus major, Deo
minores, ac Deo minorem Te jaſtas, immò quod
Deo minorem Te geris, hinc verè Imperator, verè
Augustus es. Hac virrute inconcussum stabit impe-
riuim tuum, & omnia tua consilia prosperè cedent.
Hac virtute Deum faventem, populum obsequen-
tem, militem strenuum Tibi demeruisti. Hac qui-
dem virtute, hostes Dei aduersus Majestatem tuam
conciataſti, ſed ejusdem virtutis efficacia hostes Dei
actuos conculcabis & proteres.

Religio, virtutum prima, in corde Tuo velut in-
digno ſolio immota ſedet ac triumphat; at non fo-
la eſt Tibi primaria hæc virtus, immò veluti Regina
cæterarum virtutum consortio stipata eminet. Re-
ligionis Comites Tibi ſe adjungunt, Iuſtitia, Boni-
tas, Clementia, Fortitudo, Magnanimitas, ac Sapi-
entia: Sapientia, inquam, quæ privato cuique ne-
cessaria, in Principe potiſſimum requiritur, quippe
qui non ſuæ modo ſed ſuorum populorum ſaluti
conſulere tenetur. Imperatoriæ hujusce ſapientiæ
ſingulari luce illustrata Majestas tua ſub principium
teterimi belli, ſedem gubernandis populis ac diri-
gendis legionibus aptam atque idoneam in medi-
tullio imperii ſui ſelegit; Ac quemadmodum Sol
in centro Cœli ſtans, Planetis longe diſtantibus
vim ſuam ſuumque lumen diſfundit; Sic Tu in cen-
tro dominii Tui ſtans, omnibus ejus partibus con-
ſuluisti. Illinc arcta fœdera contra hostem ſancis,

(§) 5

auxilia

auxilia evocas, milites conscribis, duces creas, captas tempora : Illinc solerter prævides, prudenter provides, sapienter deliberas, fortiter celeriterque deliberata exequeris. Hisce studiis verè imperatore dignis, Vienna tua setvata est, & fusō fugatoque hoste liberata.

Tu, Imperii tui ut summus es moderator, ita primarius custos exististi, Tu inclyte Civitati præbuisti copias, Tu copiis Ducem egregium, Tu copiis ducique auspicia tua, ipsisque auspiciis tuos Divos, tuumque ausim dicere, utpote Tibi faventem ac benevolum, Deum conciliasti. Tu non modò extra Viennam, sed intra Viennæ muros, corpore absens, Majestate præsens, omnia moderabar. Tu amore Tui, obsequio ac reverentia, militum ducisque corda accendebas, brachia movebas, iectus dirigebas. Quis cum absentem dixerit quem singuli animo præsentem videbant? Custodes Viennæ milites hinc sancta Christi altaria, illinc augusta Imperatoris palatia alternis vicibus intuentes, quâ fortitudine armabantur? quo pietatis ardore in Barbaros excandescebant?

In animis illorum modò personabat vox Christi in hunc modum conquerentis: siccine hæc templa in Mosqueas convertent Ottomanni? Hæccine altaria sibi vindicabit impius Mahometes? Neque multò post ibidem personabat Imperatoris vox hoc pacto indignantis; Hæccine palatia ab Imperatore vestro benignissimo Principe eripet ferocissimus Turca? Itane triumphabit truculentus Christianæ fidei hostis, & domum hançaugustam pietatis, Ju-
stiriæ

stitiæ ac temperantiæ venerandum domicilium in turpe concubinarum ac meretricum lupanar convertet impurissimus Tyrannus ? Tali in Deum atq;
Imperatorem suum pietate tanquam dupli face insticti atque accensi, non modò protegendæ civitati pares erant, sed profecto ii erant, qui eruptione facta exercitum hostilem delere potuissent, nisi sapiens Staremburgius primum usus stimulo, jam ad taleni impetum, comprimentum fræno uteretur, & provido consilio janjam accedentes auxiliares cohortes opperiendas duceret. Enadsunt auxilio invictæ copiæ & Tuæ & sociæ, primoque impetu facto civitatem obsidione liberant, hostem de castris propellunt, & in fugam conversum ingenti clade profligant. Non longè hinc aberas, IMPERATOR AUGUSTISSIME, ad hostilia castra, ad civitatem tuam jam accesserat jamque proprius accedebas : Appropinquantem Majestatem tuam senserunt nostri milites, senserunt Barbari, sed ut animo ita eventu longè dispari. Christiani tanquam Numinis propitij benigno aditu animati sunt acrobatai : Profanæ copiæ tanquam Numinis irati adventantis occursu dejectæ sunt atque perculsaæ.

Adventante Deo, procul ô procul este profani.
O viatoriam admirandam ! O celeritatem incredibilem ! Cum Tu advenisti, jam hostem profligaveras. Dixerit Cæsar ad demonstrandam celeritatem suam adversus Ponti Regem, VENI, VIDI, VICI : Dixerat Poëta Italus de Ludovico Justo in expugnatam Rupellam, Venne, vinse, e non vidde il gran Luigi. Majora de Te ac mirabliora
pro-

profectò dicenda sunt, Tu nondum veneras, sed
venire parabas, nondum videras, sed eminus videre
castra occperas, cùm hostem numerosissimum vi-
cisti, fugasti ac debellasti. In cumulum nedum in
dispendum Tuæ gloriæ Tibi cedit talis & hunc in
modum parta victoria ; vel sola viciniæ tuæ fama
percellendo hosti sufficit. Tua in solidum victoria
est, Milites, Duces, Principes, imo Reges, qui in
hoc prælio fortiter fese gesserunt, sub Tuis auspi-
ciis, pro Tuo jure, Tibi præliati sunt: Tu victoriam
reportasti, Aquila tua, Ales ministra fulminis, fulmen
in hostes jaculata est. Tu Christiani exercitus mens
atque anima fuisti. Tu vim incredibilem Barbáro-
rum interfecisti, brachiis alienis, imò Tuis, neque
enim aliena sed Tua dicenda sunt Tuorum brachia,
hominum qui à Te pendent, Te respiciunt, Tuq;
moventur arbitrio.

Lætare ac jubila, gloriosa civitas VIENNA,
gravi obsidione liberata, Imperatorem Donum
tuum triumphantem, imò triumphis omnibus ma-
jorem excipe, gremio completere, cole & Ger-
manum Liberatorem agnosce. En adest qui lucem
patriæ reddit dux optimus. Spargite, ô cives, vias,
floribus; venienti occurrite exhilarata facie, Vi-
ctorem insolitis plausibus celebrate, meritisque lau-
dibus in cœlum evehite. Neglectæ domus exco-
lantur, officinæ ornentur, forum impleatur Civibus,
qui patriam armis propugnarunt, cara pignora ipsis
ob ætatis vel sexus infirmitatem paulisper subducta
redeant, dulcibusque osculis atque amplexibus læ-
titiam diffundant. Nova luce civitas resulgeat,
novo

novo decoretur cultu, nova superbiat pompa. Mersata quidem profundo est, sed hinc pulchrior emerget: Variis quidem jactata est casibus, sed jam servata inde alacrior vegetiorque ad sua munia exsurget, & instar arboris securi tonsæ, ab ipso ferro vires atque animum ducet.

„Et tu, TERRA AUSTRIACA, post tot exantlatos labores jam tandem respira, quod tantam pestem evomueris, forasque projecceris, respira ac meliores spes concipe. „Truculentus hostis tuus devictus est, & alteram partem disjecisti, alteram humi prostratam habes. „Nuper quidem Barbari inaudita crudelitate tibi vineas exscindebant, arbores evellebant, fruges diriepiebant, hortos proculabant, prædia incendebant, omnia denique igne ferroque depopulabantur; En quales scelerum suorum pœnas dedere. Truces apri, feri ursi, lupi rapaces, provinciarum devastatores, Aquilæ fatalis rostro atque unguibus, discerpti sunt & dilaniati. Turcarum, Tartarorum, Scytharum, Arabum, Ægyptiorum stupenda colluvies, per campos, quos fœdè turpaverant, passim prostrata jacet, putridisque cadaveribus pro æterno gloriæ tuæ monumento, tanquam victimis tibi satisfactum est. Agrorum tuorum ubertate pingues evaserant Barbari, ex ipsa cadaverum pinguedine ubertatem, Dei justo miraculo, agri recipient, suusq; illis reddetur adeps. Sordes quas hominum maleferiatorum sceleribus inquinatum solum contraxerat, abluet sanguis hostilis: Hoc sanguine terra non erubescit, sed quasi triumphali veste induita purpurascit. Utinam san-
sangvis

gvis ille evadat in torem fœcundum, unde pullulent palmæ, germinent lauri, quibus coronentur illorum capita, qui plenam de Ottomannis victoriā portaverint. Sic auguror, sic opto.

Perge igitur, IMPERATOR INVICTE, perge, reliquias nefarii exercitus perde atque exscinde; pro Vienna oppugnata, expugna Byzantium. Non illa quidem urbs Viennæ instar fortiter resistet; exarmata, attonita, stupefacta civitas illicò manus dabit: Byzantium oppugnare expugnare fuerit. Funditus deleatur imperium Ottomanicum, Sacro Imperio totique orbi Christiano infensum atque infestum. Lunam in fastigio turris Viennensis prominentem suum ipsi insigne Ottomanni tormentis bellicis everterunt, & in imum destruerunt. Accipe omen IMPERATOR MAXIME, & in pœnas belli ultrò & contra omne jussuscepti, Lunam Ottomanicam è fastigio potentiae ac magnitudinis dejice, atque in imum deturba. Perge, Cæsar, nec contentus vincere utere victoria.

Sed quid ago? quo me raptat animi impetus? Ego puella ordinis infirmi, Te imperatorem potentissimum ac sapientissimum adhortor, Teque ad officia tua oratione impello: audaciæ meæ veniam oro: Ignosce IMPERATOR CLEMENTISSIME, imperito sexui, ætati improvidæ. Si quid peccavi, amore in fidem Christianam, ardore in gloriam Majestatis tuæ tanquam æstu abrepta peccavi, & pudoris limites transfilivi. Ignosce affectui, ignosce pietati. Denique ignosc

sc̄e mihi , L E O P O L D E C L E M E N T I S .
S I M E , in gratiam Caroli parentis mei , cui bene-
volentiae tuæ Cesareæ luculenta pignora non semel
impertitus es. Novi Ego , & sæpè sæpius narran-
tem Patrem audivi , (id enim sibi in vita primarium
ac non ipsi modò , sed toti familiæ summè honoris-
ficum obtigisse autumat ,) qua humanitate illum
non dicam in Palatio , sed in Musæo Tuo excipere
dignatus sis ; qua benignitate pretiosi temporis ,
quod generis humani beneficio consecratum est ,
vel quatuor horas integras , solo adstante Comite
à Lamberg , illi concesseris , & in mutuum de re
litteraria colloquium impenderis . Imò si dicere
liceat , ut Orationis meæ plausibiliorē reddam
rationem ; Non ego Te hortor , I M P E R A -
T O R A U G U S T E , non ego Te ad officium
tuum impello ; Tantum vota nuncupo , tantum
animi mei desideria ac sensa oratione explicō . Hæc
optare , hæc augurari fas & jura finunt .

Eja igitur IN VICTE L E O P O L D E ,
terram hostem non modò expelle , sed perse-
quere , sed sua illum in ditione oppugna atque ex-
pugna . Primarium Ottomanni Imperatoris signum
cum ipsius Ducis tentorio captum atque direptum
magnum quid & memorabile portendit : Toti Im-
perio nefario cladem impendentem hinc auguror ,
tali omni exitium imminens præsagitt animus . Te-
cum ad tam præclarum facinus omnes Christianos
Principes sacro fœdere conspiraturos confido .

¶ Quid statis , Principes Chrtstiani , conimunis
hæc causa est , communis videlicet hostis est Otto-
mani .

manicus Tyrannus. Vestrīs ille in universum Imperiis inhiat, vestrām fidem penitus exscindere molitur., Ad communem salutēm insurgite omnes; contra nefarium Christi ac Christianorum perduellem, colligitē animos: Vires conjungite, Christiani Principes & Monarchæ, Barbarorum recenti strage tutam atque amplam viam vobis fata aperiunt; Mira hac victoria tanquam cœlesti classico Christus Vos ad suam causam defendendam excitat: Obscuritate fatis, Christum invitantem & ad Bellum sacrum Vos provocantem sequimini. Vobis aderit Christus, & qui modò Vos vocat, ipsius vocatus Vos in tempore audiet, Vobis opitulabitur, & pia consilia non ad suam duntaxat, sed & ad Vestrām gloriam felice exitu coronabit.

D I X I.



ULB Halle
007 375 425

3



V017

Z




Farbkarte #13

B.I.G.



Exquisitissima & singularis Ingenij
O R A T I O,
D E LIBERATA CIVITATE
VIENNENSI.
De
Immanissima Tyrannide & in-
festissimis Turcarum Armis,
PATAVII HABITA
a
Premobili & Praclarissima Quindecim Anno-
rum Virgine,
CAROLA CATHARINA
PATINA,
in Præsentia Almæ Universitatis Patavien-
sis, 31. Octobris. Anno 1683.
IMPERATORI CÆSARI,
LEOPOLDO I.
AUGUSTO, OPTIMO, MAXIMO,
TRIUMPHATORI, INVICTISSIMO,
DICATA & CONSECRATA.



LEUTSCHOVIÆ,
Typis SAMUELIS BREWER.